



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

**Fleury, Claude**


**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118588**

§. 1. Summus Pontifex de prava suorum Nepotum administratione  
admonitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)



# HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ LIBER CLIV.

PAULUS IV. PONT. MAXIMUS  
FERD. I. OCC. IMP.

## §. I.

*Summus Pontifex de prava suorum  
Nepotum administratione  
admonitus.*

Sæcul. XVI.  
A.C. 1559.

*Thuan. hist.  
l. 23.  
Pallav. hist.  
Conc. Trid.  
l. 14. c. 7.  
num. 1.  
Rayn ald.  
hoc ann.  
num. 30.  
Et seq.*

Quamvis Paulus IV. summus Pontifex ob pacem cum Hispanis conciliatam a pluribus curis eximetur, vehementer tamen obstupescet, dum de singulis corruptelis, quibus ejus Nepotes durante bello Romanam urbem infecerant, articulatim certior reddebat, quapropter hisce malis remedium opponere, suarum partium esse putabat, hinc primo querelis, quas subinde contra Caraffas effundebat, suam indignationem ostendit; cum igitur Pontifex pronam hasce corruptelas tollendi voluntatem demonstraret, non pauci eorum, qui hucusque aut Papam cœco

cœco in Nepotes affectu captum, aut Sæcul. XVI:  
finistris suspicionibus præventum existi- A. C. 1559.  
mantes animi sui consilia detegere non  
audebant, jam nunc libere mentem  
suam pandebant, atque inter ceteros  
præcipue Jeremias Regularium Theati-  
norum Alumnus propitia, quam ipſi  
pius Pontificis animus polliceri videba-  
tur, occasione uti festinabat, hinc Pau-  
lum IV. accedens tam gravi verborum  
pondere adversus Caraffarum agendi  
rationem declamabat, ut Pontifex ocu-  
los, quos hucusque hac in cauſa ferme  
clausos tenebat, sensim magis, magis-  
que adaperiret, & suorum Nepotum  
vestigiis pressius insisteret, unde factum,  
ut brevi abusus, quos hucusque igno-  
rabat, compertos haberet; cum vero  
Cosmas Florentiæ Dux præ ceteris ma-  
jorem querendi ansam haberet, sese  
illis, qui Caraffas accusabant, adjun-  
xit: quapropter cum plures, atque e-  
tiam non paucos Ecclesiasticos in car-  
cere detineret, & tandem sese ab in-  
vidia, quam sibi iniqua hac violentia  
accerserat, liberare vellet, Papam,  
prout jam antea ſæpius fecerat, rursus  
follicitabat, ut quosdam Viros morum  
probitate conspicuos nominaret, qui  
accusatorum cauſam dijudicarent. Ad  
haec Dux ægerrime ferebat insolentiam  
Caraffarum, cum haud effent contenti,

R 3

quod

Sæcul. XVI  
A.C. 1559.

*Thuan. l. 22.* quod in Ecclesiæ ditionibus cuncta sus de-  
*Pallav. n. 3.* que verterint, sed insuper etiam per uni-  
versam Italiam, ac præcipue in Etruria Xenodochiis, Monasteriis, atque  
Ecclesiasticis gravia tributa ex propria auctoritate imposuerint: eapropter Cosmas Florentiæ Dux Boniano Bonfiliatio oratori suo negotium dederat, ut ea de re querelam apud Pontificem institueret: verum ne ille ad colloquium admitteretur, sedulo hucusque effecerant Caraffæ, quo factum est, ut Cosmas per literas id tentaret, quæ a Cardinale Vitellio Caraffarum fastum, & insolentiam exoso, Pontifici redderentur. Vitellius hac sibi injuncta provincia tam integra fide fungebatur, ut Papa vix perfectis hisce Ducis Florentini literis mox præterita, quæ eidem Guisius Dux, & Jeremias dederant, monita in memoriam revocaret, atque acersito Jeremiæ præciperet, ut ex Cardinale Vitellio Caraffensium consiliorum gnaro rei gestæ, atque accusationum veritatem plenius intelligeret, atque ad Papam sincere referret.

### §. II.

*Pontifex plura sibi data monita in mentem revocans.*

*Pallav. l. 14.* Insuper Papa ad sedulam hanc in Nepotes  
*c. 7. n. 2.* suos inquisitionem potissimum alio ex ca-